



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Diversi Tractatvs

Coloniae Agrippinae, 1629

Candido Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61359)



CANDIDO LECTORI.

Ad rationem & mentem instituti mei plenissime intelligendam visus mihi es necessarius tribus verbis monendus, de Auctoribus horum Tractatum, & scopo eorundem. Primus Parentem agnoscat ter maximum illud Hispanie hydus & Dominicana familia decus, Patrem Raphaelem de la Torre, Virum, quem sero Germania vidit, necdum satis nouit. Ex eius tomis, quos de virtute Religionis Ad secundam secunda S. Thomae copiosissimos & doctissimos Hispania altrici sua dederat, Tractatum hunc de potestate Ecclesie coercendi Demones circa obsessos & maleficiatos, vna cum Praxi exorcistica selegimus, commodo tuo, desiderio multorum. Magnum munus, ardua prouinea. Principes & potestates tenebrarum harum, Demones dico, laceffere, fatigare, sedibus suis pellere: sed quam multi parum feliciter, aut errore, aut superstitione, a vero & recto abducti gesserunt: nec infeliciter tantum, sed Ecclesie, & Energumenorum damno, haereticorum aduersariorum nostrorum non contemnendo scandalo. Huic malo, errori, inscitia, superstitioni manum medicam pollicetur, atque aded exhibet hic auctor, vt errare, ignorare, aut impingere deinceps, nisi qui velit, non possit: Quod lubentes in hac Vrbe viri Ecclesiastici, magni experti ingenue profitentur, a quibus alij & alij quidem de hac re editi libri lecti, plures sine fructu, non pauci cum radio, quidam cum periculo etiam. Solus hic errare vetuit, superstitionem eliminavit, viam tutam, in qua cessitare non liceat, monstrauit & aperuit. Hic Prodrromus sit Operum omnium auctoris, quem si gratum deprehendero, nobilissimos eius de virtute Religionis commentarios in Hispania editos vtilitati publica consecrabo. Tres reliqui Tractatus de abominando Sagarum scelere agunt, media & vias tum Pastoribus & animarum Curatis iuuandi hoc genus hominum, tum Magistratui Politico ordinem, quo hanc pestilentissimam hominum fecem excindere possit suppeditant. Auctores noti libris editis, quos commendare exillitas mea nequit, illorum magnitudo non sustinet. Meum studium fuit studere bono communi, & qua licuit via ignorantiam ad Cimmerias tenebras relegare, Sagarum Patronis laruam adimere, iniuriam in bonos & pios vnus veri Dei cultores, que ab his manat, pandere.

TRA-